



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Historico-Juridicus De Præcedentia Controversa
Monachos Benedictinos Inter Et Canon. Regulares S.
Avgvstini**

Stolte, Benedict

Erfordiaae, 1730

VD18 1179271X

§. I. Ostenditur, Ordinem S. Benedicti esse antiquiorem,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64547](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64547)

nua, videamusquè quid habeant roboris.
Sit ergo

§. I.

Ostenditur Ordinem S. Benedicti
esse antiquiorem.

I. DICO. Ordo BENEDICTIVS
est antiquior ordine *Canonicorum Regula-
rium S. AVGVSTINI.*

Probatnr: Ante Sæculum undecimum
nullus *Canonicus Regularis S. AVGVSTINI,*
quales sunt moderni, fuit sub sole; ergo
ordo BENEDICTIVS, natus vix exspi-
rante sæculo quinto, est multò antiquior.
Antecedens probatur, texendo breviter &
fideliter historiam de origine *Canonicorum
Regularium Ordinis S. AVGVSTINI.*
Lectorem autem præmonitum hìc ve-
lim, hoc in puncto me cum Exim. D. P.
CORBINIANO KHAMM, Ord. S. P. Bene-
dicti ad SS. Vdalricum & Afram Augustæ
Vindellicorum professo, secutorum præ cœ-
teris ductum GERARDI DVBOIS, Ord. S.
Oratorii presbyteri & in insigni Ecclesia S.
Martini Turonensis Præpositi de Sodobrio no-
bilissimi Historiographi; Item THOMASSI-
NI, ejusdem Ordinis etiam viri doctissi-
mi;

mi; denique D. JOANNIS MABILLON, rei antiquariæ Rimatoris accuratissimi, BENEDICTINI quidem, sed talis, qui teste GERBESIO Doctore Sorbonico & Professore Regio, toti mundo Justitiam administrat, absque personarum acceptione, aut ullâ partialitate, quemquè ipse LVDOVICVS XIV. Galliarum Rex subinde in plurimorum procerum præsentia digito demonstrans religiosum in suo regno humillimum & doctissimum proclamavit. Ne autem citationum proluxa varietas confusionem pariat, rem compendiosè dabo. Qui accuratiorem, pleniorinquè desideraverit probationem, lustret ipsos fontes, è quibus hæc derivantur, nempe GERARDI DVBOIS Historiam Ecclesiæ Parisiensis anno 1690. typis editam; THOMASSINI veterem & novam Ecclesiæ disciplinam Lugduni Ao. 1706. impressam p. 1. l. 3. de Clericorum & Monachorum congregationibus. MABILLONII gem. apolog. pro Benedictinis.

2. His ergo facem præferentibus, dicendum est; *Ly Canon*, primitus fuisse vocem castrensem, Historiographis usitatissimam, quâ designabatur, & Catalogus militum,
&

& portio annonæ cuique debita, translata est postea hæc vox (sicut & *Ly stipendium*) è castris ad Ecclesiam, perquæ Canonem intelligebatur Ecclesiæ matricula, & portio reddituum, cuique isti matriculæ inscripto debita; dicebatur Canonica (cujus vocis frequens adhuc in jure est mentio) quiquæ tali matriculæ erant inscripti deque Ecclesiæ redditibus participabant, dicebantur Canonici, qualescunque essent Ecclesiæ, sive Cathedrales, sive tantum Parochiales. Quamvis enim etiam Decreta Conciliorum vocabantur Canones, latinè regulæ, tamen Clerici exinde non dicebantur Canonici, sicut modò parochi, aliiquæ Clerici alicui sacello sive Ecclesiæ non collegiatæ addicti, quantumvis sacris canonibus subjecti, non dicuntur Canonici, & nec tunc Clerici Oratoriis Magnatum, à quibus temporaliter sustentabantur, servientes. Sicquæ ante annum septingentesimum non alii, quàm matriculæ Ecclesiæ, è cujus stipendiis alebantur, inscripti vocabantur Canonici.

3. Fuère quidem primis Ecclesiæ sæculis, qui clericos ad Communem redigere vitam tentârunt, nimirum in Oriente

ATHANASIVS Patriarcha Alexandrinus, qui floruit anno 340. hujus æmulus EVSEBIUS Vercellensis florens anno 370. teste S. AMBROSIO L. 3. epist. 25. " Primus in Occidente vitam monasticam cum clericâ conjunxit, ut in Civitate positus, instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejuniis sobrietate; multum enim adjumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ & ad normam integritatis juventutem adstringat, & versans intra urbem, abdicet usum urbis & conversationem." Sed hoc vitæ genere mox cum EVSEBIO expirato, S. AVGVSTINVS EVSEBIVM imitatus (ait CAROLVS à MANSFELD ad SS. Michaëlis & Gudulæ apud Bruxellenses Canonicus in manu ductione ad vitam Canonicam lib. 2.) monachatum clericatui restituit. Verùm (uti pergit postea fol. mibi 135.) quòd res humanæ in omnem mutationem semper pronæ sint, temporis successu omnimoda illa communis & Apostolicæ vitæ societas immutata est. Nec mirum, cum sine certâ aliquâ & determinatâ regulâ, uti nec ars, ita nec talis status stabilis esse & perseverare possit. vide infra §. 4. n. 31.

4. Tempore autem PIPINI anno 752.
in

in Regem Galliaë creati, cœperunt clerici
 rursus congregari in communem vitam,
 operâ & sub regulâ CHRODOGANGI
 (HERMANNO *contracto* Rodgangi, THRI-
 TEMIO *Rugrandi*, aliis *Godegrandi*, aliis
Chrodegandi) Episcopi Metensis anno 757. de-
 functi, quam ipse tum ex Conciliorum De-
 cretis, tum ex *Regula* s. BENEDICTI pio
 furto, ait THOMASSINVS, & tacito BE-
 NEDICTI nomine desumpserat, quæquæ
 regula teste eodem THOMASSINO anno
 789. in *Concilio Aquisgranensi*, *Moguntinensi*
 anno 813. observanda clericis præscribitur.
 Deinde teste ADEMARO anno 816. ad
 mandatum LVDOVICI *Imp.* regula quæ-
 dam ex SS. PP. Scriptis per AMALARIVM
 Diaconum excerpta in altero *Concilio A-*
quisgranensi approbata, data est Canonicis
 observanda; & est eadem propemodum
 (sunt verba THOMASSINI *p. 1. l. 3. n. 9.*)
 atque regula CHRODOGANGI. ipsissima
 enim verba regulæ CHRODOGANGI *Concilio*
isti Aquisgranensi à cap. 115. usquæ ad c. 125.
 inserta reperiuntur.

5. Clerici igitur secundum talem regu-
 lam in communitate vel sub Episcopo vel
 Præposito vel alio Prælato viventes, dice-

bantur Canonici non ampliùs præcisè, quia Canonici, seu Matriculæ Ecclesiæ inscripti, sed quia sub regula, græcè *Canon*, vivebant; & ad distinctionem Monachorum, qui etiam communiter & collegialiter degentes, dicebantur simpliciter & convertibiliter vel Monachi, vel Regulares; Regulares enim omnes erant Monachi, & omnes Monachi Regulares, & canonicè vivere, & regulariter vivere, erant contradistincta, uti variè ex variis etiam Conciliis sc. *Verno* sive *Vercellensi* anno 755. *Aquisgranensi* 789. *Moguntinensi* 813. *Remensi* 813. *Arelatensi* eodem anno 813. *Tuineni* 815. *Cabilonensi* &c. probat THOMASSINVS, ita ut ante annum millesimum omnes in communitate viventes fuerint vocati aut Canonici sc. degentes sub regulâ vel *Chrodogangi* vel *Aquisgranensi*, aut Regulares vel Monachi, viventes sub regulâ S. BENEDICTI: de tertio vivendi genere Canonicè simul & regulariter, unde & nominentur *Canonici Regulares*, nulla unquam, nec in Bullis Summorum Pontificum, nec in Conciliis, nec in SS. Patribus, nec in tabulis originalibus, aut instrumentis authenticis facta est mentio, sicut nec *Regulæ* S. AUGUSTI-

GVSTI-

GVSTINI. Scrupulis hinc insurgentibus fatisfiet postea, ne filum Historiæ hic inconcinnè abrumpatur.

6. Sæculo tandem undecimo ordini & nomenclaturæ *Canonicorum Regularium* occasionem dedit *Congregatio* s. RVFI, quæ (testibus MABILLONIO in *Apolog.* fol. 51. & Præposito DVBOIS in *auctario historiæ Parisiensis* fol. 78. & 79.) in *Ecclesia Avenionensi* ao. 1030. fundata ab ARNOLDO, ODILONE, PONTIO & DVRANDO, Zelosis Ecclesiæ istius Cathedralis Canonicis, BENEDICTO I. Avenionensi Episcopo Abbatiam s. RVFI (unde ista *Congregatio* nomen accepit) eis donante; ubi prænominati quatuor Canonici vitæ communi antiquorum Canonorum sub regula vel *Chrodogangi* vel *Aquisgranensi* degentium (nam *Chrodogangi* ad tria vota non obligasse, patet ex ejus *cap.* 42. nec *Aquisgranensem*, patet ex *Concilio Aquisgranensi* *Can.* 115. & 122.) addiderunt promissionem trium religionis votorum ad exemplum Monachorum, unde & Regulares seu Monachales cœperunt dici; nondum tamen s. AVGVSTINI, cum nulla de s. AVGVSTINO aut ejus Regula in initio hujus institutio-

nis neque in chartis & concessionibus ipsi congregationi factis, neque in GREGORII VII. literis teste MABILLON, fiat mentio. Item " Nos, inquit idem MABILLON in *Apol. fol. 14.* præ manibus habemus pervetustum Manuscriptum, quod exhibet regulam Aquisgranensem absque regula S. Augustini cum forma professionis Canonorum Regularium prorsus concordante cum modo & Ceremoniis professionis Benedictinorum." quod similiter refert TOM. 4. *annal. S. Benedicti p. 586.* ubi & formulam istius professionis designat his verbis: " Ego Frater N. Sacerdos aut Clericus vel Conversus stabilitatem corporis mei Ecclesie Beati N. promitto coram Deo & sanctis, Reliquisque ejusdem Ecclesie in presentia Prælatorum Domini N. & N. & ceterorum fratrum, & emendationem morum meorum, præcipue in castitate, in comunione, in obedientia, secundum gratiam mihi collatam à Deo & facultatem virium mearum. *Additque* MABILLON: hæc professio communionis seu communis vitæ fiebat præmissis iisdem ferme precibus ac ritibus, ut monastica.

7. Primitus ergò sub VRBANO II. anno 1087. in summum pontificem electo regula s. AVGVSTINI in Bullis pontificiis cæpit notari. postquam B. PETRVS DAMIANI *Fontis Avellani Ordinis* s. BENEDICTI *Monachus & Prior, ex Priore Cardinalis & Episcopus Ostiensis*, qui obiit anno 1072. aliis 1080. ex duobus s. AVGVSTINI sermonibus, nimirum *de moribus, & de communi vita clericorum*, regulam confecerat, urseratquè ALEXANDRVM Papam II. (uti testatur *ep. 16. ad eum data*) ut clerus à Regula Aquisgranensi multùm deficiens (eam tamen contra ipsum prætendens) obligaretur secundùm Regulam ex s. AVGVSTINO desumptam ad voluntariam paupertatem. huncquè ejus instinctus habuit effectum, ut in *Concilio Romano anno 1063.* celebrato statueretur, clericos Ecclesiarum collegiatarum oportere communiter vivere. videatur etiam BARONIVS *ad ann. Christi 1063.* quæ tamen constitutio non fuit universaliter recepta. Qui ergo regulam istam ex s. AVGVSTINO desumptam, Canonemquè hunc sequebantur, dicebantur *Canonici Regulares* s. AVGVSTINI.

8. Æmu-

8. Æmulus B. P. DAMIANI, aut potius imitator fuit in Gallia teste MABILLON *annal. Bened. tom. 4. s. IVO Carnotensis Episcopus*, qui floruit anno Dni 1090. & S. AVGVSTINI regulam propagasse fertur, propterea dictus *Canonicorum Regularium s. AVGVSTINI tum Reformator*, uti sentit LERBECCIVS in *Chron. Mindensi*, tum institutor usque adeò secundum alios, contradicente tamen THOMASSINO & probante, IVONEM non S. AVGVSTINI, sed S. QVINTINI Regulam esse securum. Sciendum enim, præter regulas celebriores *chrodogangi & Aquisgranensem*, alias antiquitùs fuisse regulas, secundum quas particularia quædam *Canonicorum Collegia* vixere. Sic anno 1063. Ecclesia S. *Stephani* per chartam HVGONIS *Episcopi Nivernensis* fuit donata Clericis vitam communem sectantibus juxta regulam S. *Sylvestri PP. anno 1085.* Canonicis in Diocesis *Augustanæ Monasterio Bavariæ Hegibach* (nunc collegiatæ Ecclesiæ in *Habach*) regulariter manentibus tradita sunt statuta regulæ *NORTPERTI Episcopi Curienfis.*

Omnes tales talem aliquam regulam
sectan-

sectantes Canonici, & inde dicti Regulares à posteris scriptoribus communi errore dicuntur s. AVGVSTINI, quia nempe eis constat, illos illa æmulatos esse instituta (utì loquitur THOMASSINVS) quæ regulæ s. AVGVSTINI adscribuntur.

9. Successu verò temporis regulam modernam (quam haustam esse ex ep. 109. convenit inter doctos, ait SIMON WERLINVS *Can. reg. Præpositus Diessensis in annot. ad cap. 1. reg.*) monialibus à s. AVGVSTINO scriptam, à s. BENEDICTO Ord. *S. Benedicti Anianæ* primùm, postea *Indensis Monasterii Abbate olim regulæ S. Benedicti* accommodatam, nondum tamen viris datam, postea plenius viris adaptatam tradidit s. ARNVLPHVS *Episcopus Leonis Franciæ, ao. 1117.* utì ex RODERICO & PAREBROCHIO colligit CORB. KHAMM. p. 3. *Hierarch. August. relat. 1. observ. 2.* Hanc Regulam suscipiens in Italiam introduxit s. VBALDVS per HONORIVM II. *ab anno 1124. usque 1130. claves tenentem EVGBINÆ Civitatis in Vmbria creatus Episcopus,* utì etiam meminit Breviarium die 16. *Maji.* Et Angliam intrabat idem secundùm istam normam vivendi modus sub Rege HEN-

HENRICO I. circa *annum Domini 1128.* ante ista HENRICI tempora nullus Canonicus regularis s. AVGVSTINI *Hipponensis* in Angliâ fuit inventus, negare tamen non ausim, Monachos Benedictinos in Ecclesiam Cantuariensem &c. à s. AVGVSTINO *Angliæ Apostolo* BENEDICTINO introductos non rarò dictos Canonicos regulares s. AVGVSTINI.

Promovit s. AVGVSTINI regulam in Germania *Gerobus* Canonorum Regularium Præpositus *Reicherspergensis*, vir omnigenâ virtute & scientiâ præditus, qui floruit *anno 1133.* cum enim in nullo *Bavariæ* Monasterio (teste *RADERO* in *Bavaria* s. vol. 2.) regulam s. AVGVSTINI inveniret, sed tantum excerptum quoddam è dictis SS. PP. & de vita Canonica (quod regula *Aquisgranensis* fuisse videtur, quæ in *concil. altero Aquisgranensi liber de vita Canonica* intitulatur) inveniebat, dicente vetustissimo *chronico Reicherspergensis*, cum quibusdam fratribus Romanum adiit Pontificem, & istam s. AVGVSTINI regulam impetravit. Videantur citati verè irrefragabilis fidei authores. Nunc pro-

propius ad nostra confinia accedentes aliorum fidem imploremus.

IO. NOVUS iste S. AVGVSTINI ordo non minùs propagabatur per Saxoniam; REINHARDVS enim *Episcopus Halberstadiensis chronico Halberstadiensis* sic referente: in Saxonia primus author fuit communis vitæ secundùm regulam B. AVGVSTINI institutæ. Quatuor ergò Canonicorum Regularium instituit congregationes, duas verò in Hamersleben & in Rattenborn (anKaltenborn.) à fundamentis instituit, & pro posse eas ditavit. In Civitate verò Ecclesiæ B. Joannis Baptistæ Canonicis non Canonicè viventibus, & in Scheninge Sanctimonialibus non Sanctè viventibus cum Discretionè remotis, Canonicos Regulares ordinavit mortuus est hic Episcopus anno Domini 1122. 6. non. mart. derivârat REINHARDVS istud vitæ institutum ex Monasterio S. VICTORIS in suburbio parisiensi noviter fundato.

II. REINHARDVM æmulatus *Bruningus* anno 1116. electus *Episcopus Hildesensis* introduxit *Canonicos Regulares Ord. S. Augustini* in locum *Sultam* vocatum propè *Hildesem,*

desem, ubi s. GODEHARDVS ex Ordine S. *Benedicti* quondam etiam *Episcopus Hildesimensis* anno 1024. expulsis Dæmonibus in honorem s. BARTHOLOMÆI Ecclesiam pro presbyteris & Clericis Sæcularibus, simul & Xenodochium pro pauperibus suscipiendis, construxerat. BVSCHIVS de *Reform. Monast. c. 13.*

Eodem anno 1116. fundatur Monasterium novi operis propè *Halim Saxoniam*. MEIBOM. in *Chron. Riddagsbus. n. 9.*

Anno 1120. THEODORVS Comes *Gribensis* conjuge sua AMELRADA in *Diecepsi Magdeburgica* fundavit Monasterium *Ammensleve* pro *Canonicis regularibus Ord. S. Augustin.* uti patet ex Bulla HONORII II, quæ reperitur inter antiquitates *Hammerslebienses* (annales dicti Monasterii volunt fuisse collegium *Canonicorum Sæcularium*)
 „ sed piis istis fundatoribus demortuis, ait
 „ MEIBOM. in *Chronico Bergensi n. 15.* eorum
 „ liberi seu Hæredes, HERMANNVS
 „ & OTTO, fratres à NORBERTO Archiepiscopo *Magdeburgensi* *Monachorum præmonstratensium* Patriarcha mutationem loci in melius, ut sperabant, impetrârunt,
 „ sic ut *Canonicis* *Monachi* succederent
 „ Be-

Benedictini anno 1129. qui & nunc ibi⁶⁶
Deo famulantur.⁶⁶

Anno 1125. BERTOLDVS *Episcopus Hil-*
desiensis XIX. de consensu fratrum suo-
rum, (verba sunt BERTENII in *Chronico*
Marienrodensi) instituit congregationem
Clericorum secundum regulam S. AVGV-
STINI viventium in antiquissima villa,
quæ novale *Backonis* sive *Backenrode* dice-
batur, nunc *Marienrode*. Illis autem postea
à fervore deficientibus & extirpatis, à JO-
ANNE *Episcopo XXX.* in Ord. Cistercien-
ses sunt substituti.

12. Anno 1136. Monasterium *Richenber-*
gense fundatur ab aliquo, PETRO *Canonico*
Ecclesiæ Goslariensis, uti refert pervetustum
Chronicon Goslariense sequentibus verbis:
In deme teynden Jare synes (id est *LOTHA-*
RII Imper. creati anno 1126.) *Rikes, Petrus*
ein Canoneck tom Münster (id est *Ecclesiæ col-*
legiatæ Goslariensis, quæ latinè *Monaste-*
rium, Germanicè tum vulgò: *dat Münster*
Goslarie fuit nuncupata, uti patet ex *LEIB-*
NITZ introd. in tom. 3. n. XVI. pag. 13. & in
ipso tomo 3. pag. 751.) *stichtede dat Closter*
tom Richenberge geistliker Canonecke, unde
besti id erliken begiffiget. dicitur *geistliker*

Canoneke, nempe regularium, ad distinctionem Sæcularium, qui *Ecclesiam Goslariensem* incoluere; & in eodem chronico dialecto Saxonica conscripto dicuntur: *Wertliken Canonecke* apud LEIBNITZ l. c. pag. 426. § 751.

13. CONRADVS hujus nominis II. Imperator, qui regnavit ab anno Domini 1025. usque 1040. fundasse montem S. GEORGII dicitur in *cit. Chron. Goslariensi*, his duntaxat verbis: *Düsse (CONRADVS) hefft gestichet den Fürgenberg*, item ab HEINECCIO in *antiqu. Goslar.* nondum tamen pro *Canonicis regularibus Ord. S. AVGVSTINI*, utpote nondum existentibus, uti patet ex dictis, & magis patebit ex dicendis; sed pro Clericis tanquam Monachis in communitate viventibus, quales & à MATHILDE (in CAROLI MADERI *compil. chron. legitur Melchilde*; LEIBNITZ autem in *introduc. ad tom. 2. n. X. legit Mechild.*) HENRICI AUCVPIS conjugæ instituti erant in *Northusen*, quorum meminit citatum *Chronicon* sub initium, sic habens: *Na syneme (HENRICI) dode Mecheld sin busfruwe hefft gestichet ein Closter to Northusen van wertliken Funckfrawen, unde van geistliken personen alse Mōneke.* Tales adin-

adinstar Monachorum degentes incoluere montem S. GEORGII, usque dum circa annum Domini 1146. in verè regularem statum (sicut & virgines *Heniggenses*) redigerentur à GERHARDO *Præposito*, *Reichenbergensi* anno 1152. defuncto, uti etiam non obscure colligitur ex sequentibus *Chronici Stederburgensis* verbis: “Hic igitur tantus ac talis vir (GERHARDVS) dum in prædicta Ecclesia (*Reichenbergensi*) pastoris fungeretur officio, Ecclesiam B. GEORGII informem & quasi de nihilo in bonum statum, ut modò cernitur, levavit, & Deo in ea famulantes tam in ædificiis, quàm in aliis utilitatibus efficaciter adjuvit. Ecclesiam in *Henigge* sollicitè procurando sublimavit, ac de sæculari conversatione inclusas faciens in melius commutavit.”

14. Anno Domini 1176. WULFFRAMVS Abbas *Monasteriorum Werdinensis & Helmstadiensis* fundavit & construxit Ecclesiam S. Mariæ in monte propè *Helmstede* pro regulari vita *Canonicarum S. AUSTINI* Episcopi. Sic legitur in quodam diplomate, sive privilegio *Werdinensi*, quod habetur in codice *Bibliothecæ Au-*

gustæ Welfebytane. Confirmantur hæc ab HENRICO MEIBOMIO *Historico per celebri in chronico suo Riddagsbusano n. 9. dicente: istum ordinem Canoniorum regularium S. AVGVSTINI noviter ortum ex Bavarix Monasterio Reichersperg, in Saxoniam colonias deduxisse, quia nempe moderna s. AVGVSTINI regula ex isto Bavarix Monasterio per Saxoniam est propagata in nova Monasteria Canoniorum regularium.*

Non docebit probata aliqua historia Monasterium quoddam sub regula s. AVGVSTINI ante sæculum undecimum esse fundatum; quamvis non diffitear, reperiri monasteria utriusque sexus ante illud sæculum constructa, quæ à chronologis appellantur Ord. s. AVGVSTINI, non quia jam à tempore foundationis in eis vivebatur secundum regulam s. AVGVSTINI, sed per quandam anticipationem tantum, quia clerici vel virgines in eis communiter viventes postea regulam s. AVGVSTINI accepere, quod infra magis explicabitur.

15. Hinc PETRVS ABÆLARTVS V. ABAILARDVS *ao. 1142. defunctus lib. 1. epist. 33. & 34. Canonicos regulares vocat filios novos; item in Epist. 3. fol. 236. Canoniorum*

rum

rum regularium institutum vocat novum, inquit: Cur & vos ipsi Canonici regulares, à vobis ipsis noviter appellati, sicut & noviter exorti, magno ambitu murorum claustra vestra sepientes, more Monachorum, ab illecebris & tentationibus seculi manetis divisi?

Dices: ABAILARDI testimonium non esse authenticum. Resp. cùm HÆFFT. *Disquis. Monast. Tract. IX. disq. 8.* non me latet, viri hujus scripta agente S. BERNARDO, & in *Senonensi Concilio* & ab INNOCENTIO II. fuisse damnata, sc. propter errores aliquos theologicos; verùm quia & ille resipuit, & opera ejus cùm longâ pro ipso apologiâ *Parisiis* ab illustri viro FRANCISCO AMBOSIO Equite, & Christianissimi regis in sanctiore Consistorio Consiliario edita sunt, unâ cum *Doctorem Parisiensium* in eâdem operâ censurâ, in qua loca salebrosa annotata sunt; & ex post PETRI VENERABILIS elogio honoratus in *Monasterio Paracletensi* à se constructo teste PETRO CLUNIACENSI sanctè obiit, ibidemquè sepultus cùm hoc Epitaphio: *ille sciens quidquid fuit illi scibile* &c. hinc testimonium ejus in hâc ma-

teriâ manet integrum. *Similiter* ARNVLPHVS *Episcopus Lemovicensis, postea Canonicus Regularis, conqueritur, pauca esse hujus instituti monasteria, novam plantationem appellitans.* RODERIC. *quest. Regul. tom. 1. q. 3. n. 1. fol. 12. dicit: illos, quos Jus Canonicum Regulares Canonicos vocat, suam originem minus antiquam habere.* BELLARMINVS *de script. Eccles. chronologie p. 2. fol. 66. Canonorum Regularium Ordini anteposit Cisterciensem anno 1098. vel 1099. sub VRBANO II. à S. ROBERTO (docentibus Chronicis Halberstadiensi, Monasterii S. Ægidii Brunswicensis, Engelhusii, compilat: chronol. MADERI &c.) institutum, propagatum verò à S. BERNARDO ao. 1118. sub GELASIO II. GRAVESON in Historiâ Ecclesiasticâ Romæ anno 1716. & 1717. ritè approbatâ tom. 1. pag. mibi 116. scribit: Ordo Canonorum Regularium S. AVGVSTINI regulam profitentium cœpit tantummodò undecimo sæculo; nulla quippe ante hoc sæculum in scriptoribus Ecclesiasticis apparent vestigia. Omitto Abbatem JOACHIMVM, HIERONIMVM à Roma, ANTONIVM MASSAM, aliosquè plures, unanimi sententiâ institutum Canonorum Regularium ante sæ-*

cu-

culum undecimum minimè agnoscentes. Nunc tandem ex dictis infero & concludo manifestè:

Ergo Ordo s. BENEDICTI natus in Sublaco anno 510. in Concilio Lateranensi sive Romano II. approbatus, à s. GREGORIO Magno confirmatus ordine *Canonicorum Regularium* s. AVGVSTINI multò est antiquior.

§. II.

Solvitur Objectio ex Conciliis desumpta.

16. *Objicies I.* Ex Commentario in regulam s. AVGVSTINI fol. 65. *Canonicorum Regularium* jam olim clarissimè meminit Concilium III. Turonense, celebratum anno Dni 813. Item Vernense anno 755. aliaque complura, ergò.

Respondet ad Concil. Turonense CAROLVS à MANSFELD Canonicus, de clericorum Cœnobitica C. 5. fol. 103. Ne dicas illos Monasteriorum Canonicos Monachos fuisse, vel Canonicos, quos modò Regulares dicimus, neutrum enim verum est. Ita ille, & rectè; nulla enim in dicto Concilio *Canonicorum*